

virtualiter & per consequentiam in illis continentur, ac de-
terminare intellectum ad assensum.

LX. Adversarius autem noster etiam inter actus *intellectus* & *voluntatis* minus recte distinguit: & quando voluntas, postquam intellectus non citra discursum in apprehensionem & assensum eorum, quæ divinitus revelata sunt, perductus est; in amore rerum significatarum, tanquam bonarum, aut sibi convenientium, defixa hæret, imo blande anquiescit; ipse (Keithus) actus ejusmodi diversos, atque ipsis potentiis animæ distinctos, confundit, & vestigia gregis antecedentis illorum, qui Quakeri vocantur, secutus, intellectui talem assignat operationem, qualis in hac vita neque in eum cadit, neque locum habere citra excessum aut somnium humanum fingi potest: si autem citra errorem locum habeat, eo tandem redite; quod intellectus, postquam voluntas objectum sibi exhibitum intensius amare cœpit, in ejus contemplatione tanto suavius occupetur & perseveret.

LXI. His observatis, simul etiam patet, quid respondendum sit ad illud, quod Keithus contendit, *quemlibet hominum, qui experimentalem illam & sensibilem Dei cognitionem adeptus sit, gustum hunc vitæ æternæ, in ipsa visione seu intuitiva cognitione consistentem, posse deprehendere.* (de quo diximus §. XXVII.) Nempe certum quidem est, quod quemadmodum alii actus cognoscendi in se ipsos reflexi, se ipsos etiam intellectui manifestent; ita & actus supernaturales circa objecta spiritualia occupati in semetipsos reflexi, etiam se ipsos intellectui manifestent *partim* per suum esse, quod supernaturale est, ac proinde secundum suum esse supernaturale; *partim* quod Spiritus S. sua testificatione in mentibus fidelium de actibus illis in se ipsos reflexis testetur; & sic *internæ operationes & illuminationes sancti Spiritus, dum adsunt in cordibus fidelium, sine aliquo externo monitore aut signo verborum quorumcunque evidentiam sibi ipsis faciant, certissimamque & clarissimam sui ipsarum cognitionem in animis eas possidentium ingenerent*: quæ sunt verba Keithi l. c. p. 13, 14. Sed hæc est violatio status controversiæ, quod actus supernaturales